



EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA  
*Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis*

Nonnulla de vocatione ad sanctitatem in schemate *de Ecclesia* dicere intendo. Sanctitas enim pro Ecclesia maximi et primordialis momenti est: sine illa enim haec nec intelligi potest, *sanctitas nempe intimus finis Ecclesiae iuste dicitur, et consequenter ad eius mysterium pertinet*. Ex missione enim Divinarum Personarum: Filii scil. et Spiritus Sancti, quae suo tempore visibilis fuit, Ecclesia ut Corpus visibile inchoatur simul quidem cum invisibili, spiritali ac supernaturali motu, qui personas humanas ad participationem Divinae Sanctitatis ordinat. Haec excellentissima participatio sanctitatis ipsius Sanctissimae Trinitatis — *propriissimus finis Ecclesiae iam in S. Scriptura recognoscitur*. Iesus Christus enim in Coenaculo pro discipulis suis, qui Ecclesiam eius constituebant sic Patrem rogabat: « Sicut Tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum; ut sint et ipsi sanctificati in veritate » (*Io. 17, 18-19*). S. Paulus vero addit: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph. 5, 25-27*).

Mirum est, quod in schemate *de Ecclesia* multa de eius causa efficienti (scil. de missione Filii et Spiritus Sancti), formali (seu de Corpore mystico et s. hierarchia) ac de causa materiali (nempe de populo Dei) proponuntur, fere nihil vero vel parum de finalitate ipsius Ecclesiae invenitur, et ideo vocatio ad sanctitatem, quae finem Ecclesiae constituit, in nostro schemate non satis clare et modo bene ordinato manifestatur. Mihi videtur, quod bonum esset ad meliorem compositionem totius nostri schematis *iam in primo eius capite tractare de sanctitate Ecclesiae* tamquam indole eius pretiosissima et simul tamquam fine eiusdem intimo.

Maxime vero oportet, ut *principia vocationis ad sanctitatem* clarius exponantur. Praeter missionem visibilem et invisibilem Filii et Spiritus Sancti ad totum genus humanum, ex qua quidem missione Ecclesia orta est, loqui oportet *de divina missione invisibili, quae animam humanam attingit per gratiam sanctificantem*.

Vocatio ad sanctitatem habet — ut ita dicam — suum rythmum divinum, quo tota vivit Ecclesia ut Christi Corpus mysticum. Habet praeterea suum intime personale momentum. Ecclesia, qua talis, est sancta, opus sanctitatis praedicat ac proponit, media sanctificationis hominibus subministrat. Specialiter tamen haec *sanctitas Ecclesiae in personis humanis* apparet, crescere eos faciens in vita divina ope gratiae sanctificantis. Sic Ecclesia, ut Civitas Sancta, bonum uniuscuiusque animae quaerit, et tamquam Mater tenerrima diligentissime procurat et subministrat.

Sic igitur vocatio ad sanctitatem tamquam elementum essenziale Ecclesiae apparet et ad quemlibet hominem extenditur. Hoc igitur magis in nostro schemate sublineare oportet, quia omnia alia, quae in cap. IV inveniuntur potius consecraria illius vocationis videntur, licet aliquando maximi momenti sint, ut indoles universalis vocationis ad sanctitatem simul cum multiformi eius caractere, quod bene in schemate notatum est in initio cap. IV. Postea tamen in eodem capite diffuse tractatur de statu perfectionis acquirendae, parum vero de via ad sanctitatem mediisque ad illam attingendam pro his, qui ad hunc statum scil. ad ordinem religiosum non pertinent et nihilominus, sicut omnes homines, ad ipsam sanctitatem vocantur.

Unde videtur mihi opportunum, ut remanentibus illis quae in nn. 32, 33, 34, 35 et 36 dicta sunt, sequentia addantur:

a) Expositio *primatus ipsius caritatis* in opere sanctificationis cuiuslibet.

b) Quaedam verba *de dignitate personae humanae eiusque perfectione*, quae in virtutibus theologis et moralibus consistit, ac simul gratiam Dei sanctificantem et dona Spiritus Sancti supponit.

c) Explicatio *ipsius notionis sanctitatis*, quia circa hanc notionem magna confusio inter fideles habetur. Specialiter sublineare oportet, quod « sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo, omnes actus virtutum ordinando ad bonum divinum » (II-II, q. 81, a. 8). Unde: « nomen sanctitatis duo videtur importare: ... munditiam: et huic significationi competit nomen graecorum: agios; ... firmitatem. ... Munditia enim necessaria est ad hoc quod mens Deo applicetur. Quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus immergitur, sicut quaelibet res ex immixtione peioris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur ad hoc quod supremae rei possit coniungi. Et ideo mens sine munditia Deo applicari non potest. ... Firmitas etiam exigitur ad hoc quod mens Deo applicetur. Applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio: huiusmodi autem oportet maxime immobilia esse » (S. Th., *ib.*).

d) Desideratur pariter ut in hoc capite inserantur quaedam *de sensu et valore gratiae sacramentalis, maxime in ordine ad vitam publicam et socialem* praesertim per sacramentum sacerdotii, matrimonii et etiam confirmationis. Nec praetermittenda est *sic dicta gratia status*, in quantum scil. Deus nemini denegat actualia gratiae auxilia necessaria ad officia proprii status conditionisque bene explenda.

e) Denique oportet tria consilia evangelica ita proponere, ut manifestum sit illa non solum in monasterio observari posse et debere, sed etiam fidelibus in saeculo viventibus secundum conditionem status uniuscuiusque *vita in spiritu consiliorum evangelicorum a Christo* recommandatur: ad finem supernaturalem melius obtinendum. Oportet enim, ut una ex parte perfectio acquirenda in statu perfectionis firmiter et profundius appareat. Certo certius enim in hoc statu agitur de accipiendis omnibus quae Evange-



lia in spiritu Iesu Christi proponunt hominibus ad finem supernaturalem plenius adipiscendum. Oportet tamen etiam, ut alia ex parte vocatio ad sanctitatem in Ecclesia non limitetur, sed omnes sciant, ipsis esse propositam, et revera possibilem. Propter quod etiam oportet, ut Concilium stimulet omnes, tam cura animarum gerentes quam laicos, ad vias et methodos sanctitatis etiam infra mundum quaerendas aliisque emicandas, ut praeter ascetismum monasticum etiam ascetismum ut ita dicam mundanum evolvatur.

129

EXC.MUS P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI

*Episcopus Osakensis*

Liceat mihi proponere brevem additionem inserendam in n. 30, pag. 19, lin. 26 post verbum « progrediantur ». Inserenda propono sequentia: « Et obstaculis variis, sive ex spiritu atheismi sive ex indifferentia religiosa passim grassanter exortis, firmiter resistere et testimonium Evangelii Christi efficacius in diem apud quoslibet homines, sive credentes sive non credentes, reddere valeant... ».

Ratio huiusmodi propositionis est haec: In textu schematis supponitur status potius pacificus vitae christianae. Neque satis attendantur magnae difficultates et multiplicia obstacula, sive interna sive externa, quae, in vita quotidiana multorum fidelium, eorum progressum in sanctitate impediunt.

Ut v. g. in terris sub dominio atheistico vel etiam in regionibus, ubi habetur quaedam libertas religiosa, sed conceptio vitae materialistica animos multorum captivos tenet vitamque publicam dominatur. Post bellum, civilizatione, ut dicunt, technica in diem progrediente, homines moderni potius quaerunt plenam fruitionem commoditatum atque voluptatum, quas illis vita terrena afferre potest. Ob influxum circumstantiarum societatis hodiernae, ubi libertas cogitandi et loquendi nimis extollitur, iuvenes nostri difficultatem sentiunt in colendis virtutibus christianis praesertim sic dictis negativis, humilitatis, oboedientiae, patientiae, mortificationis etc.

Procul dubio, perfectio christiana essentialiter consistit in caritate erga Deum et erga proximum nostrum. Iamvero hac in terra post peccatum originale, caritas haberi nequit sine sustinendis sacrificiis et mortificationibus faciendis propter Deum. Revera Christus Dominus omnibus suis discipulis dixit: « Si quis vult post me venire, abneget seipsum, tollat crucem suam et sequatur me ».

In facto Dei gratia adiuti, multi catholici, sive clerici sive laici, in istis difficultatibus mirabili modo fidem christianam servant et secundum eius praecepta vivunt. In quavis aetate gratia Dei ita fideles sustentat ut v. g. fideles Iaponiae, per duo fere saecula in persecutionibus, fidem, in abscondito et sine sacerdotibus, unice in familiis servaverint.